

## DOCUMENTATION

### PONTIFICAL BULLS

**Most Rev. Francisco Cruces, D.D.**

#### PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

venerabili fratri FRANCISCO CRUCES, adhuc Episcopo titulo Tambeaensi, ad cathedralem Sedem Ilaganensem translato, salutem et apostolicam benedictionem. Munere fungentibus supremi Ecclesiae pastoris id in primis summopere cordi est, ut conditis recens dioecesis accommode provideamus, peridoneis delectis renuntiatisque Episcopis. Dioecesi ideo Ilaganensi, die tricesimo primo mensis ianuarii, hoc ipso anno, conditae per apostolicas litteras "Quia urget", cum talis esset sacer Praesul dandus qualem eius condicio postulat, visum est Nobis posse Te, venerabilis frater, huiusmodi onere et officio cumulari, rerum pastoralium quam qui maxime peritum. De sententia igitur venerabilis fratris Nostri S.R.E. Cardinalis, qui est Sacrae Congregationis pro Episcopis Praefectus, deque apostolica Nostra potestate vinculo Te solvimus prioris Sedis titulo Tambeaensis et ad cathedralem Ecclesiam ILAGANENSEM gubernandam transferimus, datis iuribus officiisque impositis congruis. Ab iteranda autem catholicae fidei professione Te eximimus; ius vero iurandum dabis fidelitatis erga Nos et Successores Nostros, ante quem vis Episcopum, qui sit sinceris fidei vinculis cum Apostolica hac Sede coniunctus, formulamque iuxta quam iuraveris ad Sacram Congregationem pro Episcopis quam primum mittes, de more signatam sigilloque impressam. Mandamus praeterea ut hae litterae Nostrae clero atque populo in cathedrali dioecesis tuae templo legantur, primo post eas acceptas die recurrente festo de praeepto. Quos dilectos filios paterne monemus, ut non solum Te libenter accipiant, verum etiam mandatis tuis pareant, pastoralibusque faveant coeptis, quae danda incundave esse censueris. Fac denique, venerabilis frater, ex Dei vocatu gregis eius factus pastor et pater, id cogites praecipue, id agas ut gravis tua dignitas munusque sacrum postulant. Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto mensis martii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri septimo. — J.T. —

Aloisius Card. Traglia  
S.R.E. Cancellarius

Franciscus Tinello  
Apostolicam Cancellariam Regens  
Expedita die XI Apr. anno Pontif. VII  
M. Orsini Plumbator

† Josephus Rossi, Epis, Palmyren.,  
Proton. Apost.  
Josephus Massimi, Proton, Apost.  
In Canc. Ap. tab. VOL. CXXXV N. 37

## PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Quia urget Christi iussum praedicandi Evangelium omni creaturae (cf. Mc., 16, 15), neque tamen id ulla ratione consequitur Ecclesia sancta apte, nisi sacramentum divinae praedicationis excipiant nationes per finium dispositionem ceterarumque rerum ordinem atque distributionem, idcirco id semper in officiis Nostris praecipuum duximus munus, quo et dioeceses novas condimus, et conditas in aptiorem, si res poscat, formam redigimus. Quam ob rem, cum venerabiles fratres Theodulfus Domingo et Subugal, Episcopus Tuguegaraoanus, atque Saverius Julius Labayen, Episcopus titulo Sinnuaritanus et Praelatus Infantensis, ante audita Episcoporum Philippinorum conferentia, ut dicunt, ab hac Apostolica Sede petierint ut, diviso suarum Ecclesiarum territorio, nova exinde crearetur dioecesis, Nos, venerabilibus fratribus sententiam rogatis Carmelo Rocco, Archiepiscopo titulo Justinianopolitano in Galatia atque Apostolico Nuntio in Insulis Philippinis, ac S.R.E. Cardinalibus Sacrae Congregationi pro Episcopis praepositis, haec statuimus. Ab Ecclesiis Tuguegaraoana atque Infantensi partem detrahimus provinciae Isabellae cuiusque propriam — huius pars comprehendit parocchiam vulgo Palanam —, ac novam dioecesim condimus, ILAGANENSEM appellandam, quae fines eosdem habeat quos provincia Isabella iuxta legem civilem; quam sane Sedi Novae Segobiae suffraganeam facimus. Sedem episcopalem in urbe Ilagan statui censemus, cathedram vero in templo S. Ferdinandi, in eadem urbe, factis scilicet iuribus atque oneribus talibus aedibus propriis. Decernimus praeterea ut in nova Ecclesia Cathedrale Canonorum Collegium constituatur per alias Litteras apostolicas. Interea tamen eligat Episcopus coetum Consultorum dioecesanorum, quorum consilio utatur. Mensam episcopalem constituent tum Curiae emolumenta, tum bona, si qua sunt, quae novae circumscriptioni obveniant, tum fidelium christianorum collationes. Ad Seminarium quod attinet, condat illud Episcopus ad normam legum sacri Dicasterii pro Institutione Catholica, iuris communis, atque Decreti "Optatam totius" Concilii Vaticani II. Cum praeterea iuvenes clerici ad aetatem pervenerint qua philosophia ac theologia imbui debeant, qui fuerint optimi Romam mittantur, in Pontificium Collegium Seminarium Philippinum. Iubemus etiam ut harum Litterarum praescriptionibus ad effectum adductis, Sacerdotes illi, qui in novae dioecesis territorio aut officium aut beneficium habeant, ei addicantur, tamquam proprius clerus; cetera tum clerici tum Seminarii tirones, ei in qua legitime degant. Documenta tandem et acta, quae novae Sedis vel clericos vel laicos respiciant, ad eius Curiam mittantur, ibique in archivo custodiantur. Ceterum, quae mandavimus, exsequi curabit venerabilis frater Carmelus Rocco, quem memoravimus, vel quem ipse legaverit, factis nempe necessariis facultatibus. Re vero acta, documenta exarentur atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Hanc autem Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore

volumus, contrariis minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis. Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et tricesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri septimo. — J.T. —

Aloisius Card. Traglia  
S.R.E. Cancellarius

Franciscus Tinello  
Apostolicam Cancellariam Regens  
Expedita die XVIII Apr. a. Pontif. VII  
M. Orsini Plumbator

Carolus Card. Confalonieri  
S. Congr. pro Episcopis Praefectus.  
Josephus Del Ton, Proton. Apost.  
Eugenius Levi, Proton. Apost.  
In Canc. Ap. tab, VOL. CXXXV N. 11

APOSTOLIC NUNCIATURE  
Manila — Philippines  
N. 6103

March 19, 1970

Your Excellency:

Herewith, I am pleased to enclose the letter Port. N. 523/69, dated March 10, 1970 of the Sacred Congregation for the Discipline of the Sacraments addressed to you with the document regarding some norms on the celebration of the mass of Holy Thursday.

If possible, the same S. Congregation noted, the Holy Father desires that these norms are to be used for the coming Holy Week.

With sentiments of fraternal esteem and kind regards, I am

Cordially yours in Christ,

(Sgd.) ✚ CARMINE ROCCO  
Apostolic Nuncio

Encl. a/s  
H.E. Msgr. Teopisto Alberto, D.D.  
President, Catholic Bishops Conference  
of the Philippines

**SACRA CONGREGATIO  
DE SACRAMENTIS**

Romae, die 10 Martii 1970

De mandato Ss.mi Domini Nostri Pauli Papae VI Congregatio haec quasdam confecit normas quoad Missae celebrationem atque concelebrationem feria V in Cena Domini.

Honori mihi est documentum Tibi remittere pro norma istius Conferentiae Episcopalis cui Excellentia Tua praest.

Haec dum renuntio, quo par est obsequio, me libenter profiteor  
Excellentiae Tuae Reverendissimae,

add.mum

(Sgd.) ANTONIUM CARD. SAMORÉ  
Praefect

Excellentissimo Domino  
Praesidi Conferentiae Episcopalis  
in INSULIS PHILIPPINIS  
(cum adnexo)

---

**SACRA CONGREGATIO  
DE SACRAMENTIS**

**SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM**

Diligenti examini subiectis plurium Ordinariorum precibus, qui ab hac Sacra Congregatione petierunt ut facilius redderetur participatio Celebrationi eucharisticae, feria V in Cena Domini, ad Communionem, paschalem eo die sumendam, haec Sacra Congregatio, de mandato Ss.mi Domini Nostri Pauli Papae VI, ea quae sequuntur statuit:

1. Ubi ratio pastoralis id postulet, loci Ordinarius permittere poterit ut, praeter Missam principalem "In Cena Domini," altera Missa celebrari valeat, horis vespertinis, in ecclesiis aut oratoriis publici et semipublici. In casu autem verae necessitatis, concedere poterit ut haec Missa etiam horis matutinis celebretur sed tantummodo pro fidelibus, qui nullo modo Missam vespertinam participare valeant: caveatur tamen ne huiusmodi celebrationes in bonum privatorum fiant, et ne praeiudicio sint Missae vespertinae principali

2. Sacerdotes, qui in Missa chrismatis aut ad utilitatem fidelium iam celebraverint, denuo concelebrare valent in Missa vespertina.

Datum Romae, die 10 Martii 1970.